

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae
Christiana. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.
Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

Praefatio Ad Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

Duos sunt, quæ in vestibulo hujus libelli me tecum præfari oportet, Lector Benevole. Nam primitus vereor, ne me aliqui impudentia & temeritatis accusent. Quomodo enim, inquiet, ad cœlum homines manuducere præsumis ipse prorsus terre affixus? Aut quâ fiduciâ describere virtutem aggredieris, cui præstans idoneus non es? Deinde quid novi hâc tuâ nobis lucubratione profers? Rem antiquam ab innumeris penè Scriptoribus docte & eleganter pertractatam fastidiosâ & rudi repetitione recantas: opesque alienas tanquam tuam verbo mendaci ostendas.

Hæ sunt voces, quibus convellere studium meum nonnulli forsitan conabuntur. Sed primum me excusabo Prudentis illius dicto, quia

— Fungor vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet exors ipsa secandi.

Et ut alterius Sapientis verba usurpem: Non sum tam improbus, ut curationes æger obeam, sed tanquam in eodem valetudinario jaceam, de communi malo tecum colloquor; remedia communico. Sic itaque me audi, tanquam in eum loquar: in secretum te meum admitto. Discentem discipulum, & meipsum erudientem non docentem magistrum hic me profiteor: nam mutuo ista fiunt & dum docent homines, discunt.

T iiiij

P RÆFATI O A D L E CTOREM.

Quod autem secundo loco objectum est, non aliter diluere possum, quam ingenuè fatendo pauca hic de meo, pleraque aliena esse. Congessi huc plurima, vel quæ propriâ didici experientiâ, vel quæ mihi profutura intellexi, dum Sanctorum Patrum, & veterum Philosophorum scripta percurserem. Sed apum more varia libamenta in unum saporem confudi, quædam admiscens propriis auctorum verbis, quædam meo stylo, quem facilem esse volui & sine fuso; quia facere hic doceo, non dicere. Habet hic igitur omnium moralium institutionum, quas ad benè beateque vivendum Sancti Patres tradiderunt, compendium quoddam & breviarium: habet Senecæ, Epicteti, Antonini, aliorumque Sapientum placita meliora. Placuit autem salutares admonitiones, quas efficaces esse in meis malis expertus sum, omissâ locorum citatione è quibus eruuntur, breviter indicare; remedia enim hæc animæ sunt, non ingenii lenocinia: nec delectare hic intendo, sed prodeesse: Non querit ager, quis potionem miscuerit; vel unde pharmaca accepta sint, dummodo sanent. Multa omisi, quæ dicere poteram; multa, quæ subtilius explicare. Magis enim prodest pauca præcepta sapientiæ tenere, quæ in promptu semper & usu sint, quam multa discere & illa ad manum non habere. Multum didicit, qui scit quantum saluti satis est. Faxit Deus, ut hic meus qualiscumque labor omnibus primum prosit; sed mihi præcipue, ne dicta mea factis deficientibus erubescant.